

**Dissertatio inauguralis de morbo comitali ... / eruditorum examini subicit
Thomas Hingston.**

Contributors

Hingston, Thomas, 1799-1837.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kbteparh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





(10.)

No 10

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

MORBO COMITIALI.

To James Woodford, Esquire,
with the Author's compliments,
and best wishes.

DISSECTATIO ANATOMICA

DE

MORBO COMITIALI.

DE

ANALYSE SUUM IN

DE

D. GEORGE BAIRD, M.D.

RECTORIS UNIVERSITATIS

EDINBURGH

ANALYSE SUUM IN

DE

THE DOCTOR

RECTORIS UNIVERSITATIS

MORBO COMITIALI.

DE

THOMAS HINGSTON

DE

DE

[Faint, illegible handwriting]

EDINBURGH

RECTORIS UNIVERSITATIS

DE

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
MORBO COMITIALI:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS HINGSTON,

ANGLUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Quarto Nonas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

DISSENTATIO IN ALEXANDRINIS

22

MORBO COMITIALI.

THOMAS HINGSTON

ANALYST OF THE MORBID

FRANCISCO SUD. S. P. D.

D. GEORGE BARR, ESQ.

ACADEMICUS

Accipies, Franciscus, pro nostra neces-
situdine et benevolentia, hoc laudabile munuscu-
lum, quod, quoniam nec summo studio et
singulorum isto, quod in me ad incunabula aetate
habuisti, nec ingenio tuo eximio praestantissi-
mum, nec, hercle, amore, quo te semper ample-
ctendum existimus, satis dignum videretur; velim
tamen, documentis habere, cum voluntatis meae
ergo te perpetuae aequae constantis, tum maxime
animi, illa tua qualis et quantitas sit, minime minui

veris—V. A. L.

Georgio Barr, Esq. Lond. 1750.

IMPRESSUM

IN ACADEMIA REGIA

MDCCCLX.

THOMAS HINGSTON,

FRANCISCO SUO, S. P. D.

Accipies, Francisce frater, pro nostra necessitudine et benevolentia, hoc levidense munusculum ; quod, quamvis nec summo studio et singulari isto, quod in me ab ineunte aetate habuisti, nec ingenio tuo eximio praestantissimoque, nec, hercle, amore, quo te semper amplectendum existimo, satis dignum videatur ; velim, tamen, documento habeas, cum voluntatis meae erga te perpetuae atque constantis, tum maxime animi, illa tua qualis et quanta sit, minime immemoris.—VALE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

MORBO COMITIALI.

AUCTORE THOMA HINGSTON.

CUM sit mihi propositum, morbum eum tractare, quem potissimum conveniat, comitiales placet ; de quo, id quod enim hominis est in re medica annos perpauca versati, disserere malim, quam judicare. Sunt enim inter auctores multae de hoc vitio controversiae ; quas, qui disceptet, neminem idoneum utique existimo ; imo, ne medicum quidem aetate proveciorem, et eundem summa doctrina, plurimoque rerum usu.

Nam hujusmodi morborum sic in occulto latet natura, sic plerumque vel doctissimos

expertissimosque fugiunt causae, ut vix prorsus ullus sit, qui semper istos detegere; aut jam detectos, ad sanitatem, inita causarum ratione, perducere possit. Nec mirum, ut qui omnes pendere videantur e cerebro nervisque nonnihil affectis, quorum profecto fabricam, et facultates, et usus, et vitia, sese mortales fere penitus nescire fatentur.

Igitur, permultae quidem sententiae ac variae de his rebus prolatae sunt; quarum nulli propemodum oportet, quantum mihi saltem videtur, fidem habere. Et enim, tametsi homines, nunc tandem, aliquid per experimenta usumque profecere; tamen morbos in partes illas incidere solitos, vel accedentes prohibere, vel jam occupantes amoliri, vix melius noverunt. Namque istorum eae plerumque sunt causae, quas nemo ullo modo adimere possit: quare, nonnunquam, licet enim, unde sit malum, bene cognitum fuerit, nihil fere proficitur.

Si, igitur, cerebri nervorumque natura, quam nos summus rerum opifex celatam vel-

le videtur, hominibus esset patefacta, vix forsan, quae medendi causa fuissent reperta, per multo plures aegros prodessent. Attamen, confitendum est, permagni nostra referre, medicos harum rerum esse peritos ; eo quod inde id saltem commodi esset, ut quanquam aegrotos nequirent plerumque liberare ; quae tamen essent laesura, aliquatenus vitare noscerent.

Quocirca, his omnibus bene perpensis, visum est, dum in hoc argumento versabor, potius alienas de Morbo Comitiali proferre sententias, quam meas ipsius. Veruntamen non est, cur, inter illud agendum, ea utique tacenda putem, quae pauca, paucorum usu annorum, comperta habeo ; aut ea, quantulacunque sunt, quae mihi, conjectura quidem, ut aptissimo verbo utar, percepisse videor. Nam si quid novi ponere nequeo ; eorum, tamen, qui plus sunt, vel experientia, vel ingenio, consecuti, haud scio an simpliciter aliquantulum comprobaturus.

Nihil attinet hic exponere philosophorum, de nervorumque et cerebri tum fabrica tum facultatibus commenta; utpote quae, ne ex minima quidem parte, ad mala haecce finienda faciant. Nec enim, ut supra dixi, si quid certi se novisse credunt, quidquam juvare videtur. Imo, equidem nullus dubito, vel si naturam partium corporis illarum, tam conditam, ex toto detexissent, quin res sese haud aliter haberet. Aliud enim est, quo pacto nervi cerebrumque, adhuc integra, fungi soleant muneribus, perscrutando deprendisse; aliud, qui, jam morbo mutata, nequeant. Quid enim? fieri poterat, ut hoc etiam bene perspecto, quanquam inde nonnullum certe fructum perciperemus, morbi aliqui ne ullo quidem modo depellerentur.

Quare, medico medicina frustra facta nequaquam, velut imperito, objicienda est. Nam si multa ignorat ille, multa quoque natura negavit. Sane, igitur, in hujusmodi praecipue malis, quippe quae unde soleant oriri non videamus, quaeque ipsa tam varia

semper, tam mutabilia sint ; necesse est, ars nostra sit fere ex toto conjecturalis ; cum praesertim, qui morbi a nervis proficisci dicuntur, sic alios non nunquam referant, ut vix ullus, etiam rei medicae peritissimus, quid intersit statuere possit. Quis enim est, quem penes potestas sitprehendendi quod

Omnia transformat sese in miracula rerum,

Ignemque, horribilemque feram, fluviumque

liquentem ?

Hinc quidem accidit, ut hanc artem tractantes, nobilem profecto, imprimisque utilem, opprobriis, falsis omnino plerumque, mordeantur. Illud certe haud possumus, quin graviter feramus, hos morbos scilicet medicinae vix unquam patere. Id quod enim tanto magis dolendum est, quod nihil iisdem, quamvis mortis causam rarissime quidem afferunt, molestius videre est, nihil frequentius.

Sed autem confiteri oportet, luxuriae quidem potissimum tribuendos esse : nam ut

maxime homines se huic deditos volunt, ita illis opportunissimi fiunt. Rudes enim, neque adhuc voluptatibus corrupti, nunquam fere hujus generis implicantur morbis. Quod si quis est, quo tales interdum laborent, sacer est; quem in hominibus minime desidiosus, luxuriosusve, haud infrequenter nasci plane novimus. Sed et hic quoque eos maxime vexat, qui sibi, suis cupidinibus indomitis foedisque in explendis, nimium indulgeant. Ea profecto est hominis natura, ut animus rarissime vitari possit, quin haec quoque corporea moles corrupta labatur.

Nam dum sumus in his inclusi compagibus corporis, nisi animum semper continendum curamus, sic enim mundi arbiter ille aequus omnipotensque statuisset videtur, fere nunquam non fit, ut quaecunque inde peccata fuerint, aegrotatione aliqua luere cogamur. Quod tametsi omnibus satis constat, quis tandem est, in quem, quae nostra est enim stultitia, nunquam judicia divina ex hac causa reciderint?

Expedit vero, ne longum faciam, ad ea transire, quae ad morbum, de quo praecipue disserendum est, ejusque curationem maxime pertinere videantur.

I. *DE HUIUS MORBI INDICIIS.*

MORBUM comitalem his verbis breviter definiverim, nempe, sensus et motus, ex intervallis, vel partim vel omnino amissos; nervis identidem plus minus distentis. Medici tria genera hujus morbi statuerunt; id quod usu equidem comprobatum habeo: nempe, unum ab extremis corporis partibus quodammodo affectis, ut manuum pedumve digitis, incipiens; alterum a visceribus; tertium denique a cerebro.

Quamvis autem oportet, et non nunquam profecto, quod spectat ad medendi rationem, quam maxime prodest, quo genere sit morbus exquirendo cognovisse; est, interdum, ubi nihil inde proficiatur: namque etiam

sublata causa excitante, corpus se ad hunc morbum haud minus proclive habere frequentissime videmus. Et enim nosse morbi genus, usui est tantum fere in prima curatione; quoniam morbus ipse, ex quacunque causa, semper reapse idem est; iisdem remediis, hac suis quidem primum adempta, vincendus ac depellendus.

Priusquam concidit aliquis, morbo, de quo agitur, correptus, instare malum quaedam frequentissime monent indicia, qualia sunt aura imprimis quasi e ventriculo, vel intestinis, vel parte corporis aliqua extrema, usque ad caput sensim, et pedetentim ascendens; caecitas; gravedo aut dolor capitis; vertigo; sopor; tormina; vox balbutiens vel suppressa; vomitus; obversantes ante oculos, calore plus minus affectos, scintillae, aut rerum imagines multimodae: plurima sunt exempla; sed satis erit unum vel alterum retulisse. Mulier, nimirum, morbo in propinquo, sibi suam in speculo formam sentire semper videbatur: et virum itidem ac-

cepimus vidisse velut anum, staturae parvae, pallula rubra indutam, sibi obviam venire scipione fultam, quo ictus continuo prolaberetur.* Nonnunquam videre est, quem excepturus est morbus, eum nunc magna laetitia affici; nunc ultro citroque praeter solitum cursare; nunc pedes, ut in saltando, movere; nunc, denique, voces effundere loquacem. Atque enim fuit, ubi homo, canendi hactenus omnino imperitus, promere cantum inceperit, audientibus minime ingratum.† Ante accessionem, frequenter sub oculis et circa os lividus annulus est. Alias, aures intra se ipsae sonant; alias, sentit homo quasi perreptent cutem insecta, vel dorsum frigida impleatur. Sed contra, aliquando fit, ut morbus ingruat, nullo prorsus antecedente signo.

Cum jam tandem aliquem morbus occupavit, sensus omnes subito perimuntur; ne-

* Lond. Med. Review, Vol. I. p. 50.

† Good Stud. Med. III. 540.

que homo ullo modo movere potest : etiam, usque eo viribus profecto deficitur, ut, si pedibus insistit, in terram graviter concidat. Magna est nervorum distentio ; sed plerumque altero alterum latus magis laborare videtur. Tentantur vero potissimum facies oculique ; adeo ut foedissime distorqueantur ; illa, magna ex parte, aut perquam pallida aut nigra. Vomitus aliquando infestissime urget, haud raro ciente homine gemitus immanes. Lingua foras extrusa, dentibus aegro vehementer frendente, graviter laceratur. Ex ore moventur spumae ; et nonnunquam fluit, per se quidem, urina, aut semen, aut denique venter. Distentiones interdum remittunt brevi reversurae, eademque saepius ingentiores. At plurimum his, quantaecunque fuerint, aegrotus haud longo tempore penitus liberatur ; immotus tamen, insensilis, soporus. Non ita multo post, modo celerius, modo tardius, ad se revertitur ; idque sibi aliquid accidisse omnino inscius. Inter accessionem se tollunt arteriae ne aequis quidem intervallis ; spiri-

tusque difficile trahitur: quae, tamen, ubi vim deposuit morbus, haud aliter atque in sano homine, peraguntur. Praeclarum illud Lucretii :

—— subita vi morbi saepe coactus

Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremit artus,
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
Inconstanter et in jactando membra fatigat :
Nimirum, quia vis morbi distracta per artus
Turbat agens animum, spumanti ut in aequore salso
Ventorum validis fervescunt viribus undae.

Inde ubi jam morbi se flexit causa, reditque

In latebras ater corrupti corporis humor,

Tum quasi talipedans primum consurgit, et omneis
Paulatim redit in sensus, animamque receptat.*

Etsi vero, maximam partem, aegrotus sensu omnino cassus esse videtur; tamen fuerunt, qui, morbo vehementer urgente, senserint, immo etiam sapuerint.† Ad hoc, adeo levis nonnunquam est accessio, ut, pe-

* Lib. III. 486.

† Good, 538.

rinde ac si animo tantum deficiat, prius ad se redeat homo, quam adstantes animadvertere possint. Nae, habent inter se vertigo atque hoc vitium, tantam similitudinem, ut si contulisses, confestim diceres, quid interesset, te penitus nescire. Nec equidem possumus, cum in animo habemus, quam proxime impetus minor comitialis vertigini accedat, quin unum eundemque morbum arbitremur. Imo et memoriae prodiderunt scriptores celeberrimi, quos, omnibus ubique cognitos, nihil attinet nominare, haec vitia tanta esse affinitate connexa, ut sibi vertigo nil videretur, nisi accessio mali hujus Herculei levissima; atque etiam saepissime morbi mutari, alter in alterum. At vero liquido patet, mala prorsum omnia in nervos incidentia, quasi cognatione quadam inter se contineri: utpote cum frequenter eundem, eadem ex causa, quantum docet nimirum usus, alternis vicibus occupent et apoplexia, et nervorum resolutio, et morbus comitialis.

Accessiones quidem fere perbreves sunt,

per incerta intervalla redeunt. Contra, modo biduum triduumve trahit; modo re-
crudescit morbus post tempora certa: quid?
quod nonnullis sane videtur nova imprimis,
plenaque luna.* Interdum vero, semel o-
mnino quotidie repetit; interdum sexcen-
ties; interdum septimo quoque die; inter-
dum singulis mensibus; interdum semel at-
que iterum quotannis: et in quodam, etiam
post tredecim annos, reversus est.†

Nemo prorsus dubitat, quin morbi tanti-
que et tam violenti propriae sint consecutio-
nes. Namque haud infrequenter rem, pri-
ma specie levissimam, corpus admodum
afficere videmus: ita nihil certe mirandum
est, si vitium hujusmodi etiam magis pos-
se videatur.

* MORTON Exercit. de Morb. Univ. 23.—MEAD
de Imp. Sol. et Lunae, 54.

† HEBERDEN, Comment. de Hist. et Curat. Mor-
borum.

Homo, igitur, hoc malo tentatus, interdum morbis aliis, jamdudum in parte quolibet insidentibus, plane liberatur; interdum vero praepeditur novis, iisque natura ab eo quidem longe diversis. Non nunquam lusciosi omnia perspicere coeperunt: imo vel caeci, fugatis impetu morbi ingente subitoque tenebris, lumen, diurne optatum, oculis nunc minime hebetibus hauriunt. Sed contra, facit aliquando morbus, ut oculi vel distorqueantur, vel penitus caecutiant, mersis perpetuo crassa caligine omnibus. Ad hoc, identidem fit, ut obmutescat aeger, nunquam voces denuo redditurus. Quinetiam, modo dentes, quae est enim distentio nervorum, complusculi franguntur; modo arteria nonnulla, immo cor ipsum, rumpitur. Interdum homo mente captus delirat, furitque; interdum malo cedens, aut apoplexia correptus, animam brevi effundit. Ceterum, ubi morbus inveteravit, facultates ingenii, qualescunque fuerint, persaepe magis magisque tenuantur;

ac plerumque corpus, viribus fractis, indies marcescet.

Nonnullis, contra, tam feliciter res cessit, ut nil prohiberet, etiamsi gravissime aegrotarent, quin vitae curriculum ex sententia peragerent. Nemini enim ignotum est, Caesarem, hoc malo vexatum, ita ingenio polluisse et armis, ut orbem terrarum subactum, arbitrato suo regeret. Cyri itidem filio, cui morbum hunc familiarem fuisse accepimus, nihil obstitit, quo minus consilia teterrima sua patraret; et, manibus fraterno sanguine cruentis, Ægyptos sub imperium redigeret. Quibus, profecto, adjici potest Arabs iste impius execrandusque, quem saepe invadens non tenuit morbus, quo minus, omnia jura divina atque humana pervertens, arva illa dulcissima, tam odorum divitia, tam laeta undique et virentia, vastaret, et cruore luctuque compleret.

Illud hoc loco monendum videtur, homines, videlicet, interdum sese morbo comitia-

li aegros simulare : nec autem facile est, fraudem istiusmodi detegere. At ubi aliquem revera morbus prehendit, ne ignotum sit, si scriptoribus de hac re credendum est, manus in pugnum comprimere aegrum ; nec eas, si qui explicant adstantes, iterum compressurum esse. Puella, annos septem agens, hoc malum tam astute appositeque simulabat, ut suspicio nemini injiciaretur : sed tandem, percontato medico de vitio, respondit se auram sentire e digitis manus ad humerum, et inde ad dorsum et femur ; praecipit ille verbera ; quo audito, res se ipsa illico aperit.*

II. *DE CADAVERIBUS INCISIS.*

PROXIMUM est, ut de iis, quae in corporibus hoc morbo mortuorum incisis comperiuntur, breviter dicam. Talia enim nosse nonnihil prodesse videtur : quippe cum,

* SAUVAGE.

cadavera perbene scrutatus, etiamsi, ea ratione, illud assequi nequeat, ut hoc tanto malo laborantibus multum auxilii afferat; discat tamen aliquis ista imprimis vitare, quae in pejus convertere possint.

Corpora, igitur, scrutantibus nonnunquam in conspectum dantur varia humorum genera, et sanguis potissimum, in cerebrum effusa: ubi, etiam, saepe videre est abscessus; tumoresque omnigenos; ossa quoque calvariae sic deorsum insidentia, vel in tantum quidem tumida, aut quosdam inde velut aculeos usque eo intus eminentes, ut necesse fuerit, talia, homine adhuc vivo, cerebrum ipsum ejusque membranas multum infestarent. Saepenumero venae partium illarum arteriaeque plus solito plene sunt; id quod minime dubium videtur, cum quidem in apoplexiam interdum transeat comitialis. Modo membranae, quibus cerebrum vestitum est, vitiosae inveniuntur; modo hoc ipsum aliquanto natura vel durius vel mollius. Caeterum, glandula pi-

nealis persaepe quidem corrupta reperitur : cerebellum vero multo saepissime ; quod profecto vel colorem, vel duritiem, mollitiemve, aut laevorem, aut denique magnitudinem, nonnunquam mutatum est.

Quod ad partes alias spectat, cor, jecur, pulmones, ventriculus, atque intestina, varie affecta fuisse videntur. Neque illud praetereundum est, quod enim ab omnibus fere auctoribus accepimus, vermes scilicet in eorum, qui morbo sacro mortui fuissent, intestinis frequenter fuisse repertos.

Haec interdum : sed saepe fuit, ubi nihil omnino praeter naturam, quantum sciverunt inquirentes, inventum fuerit.

III. *DE CAUSIS.*

SEQUITUR ut, quibus hoc vitium causis medici tribuendum esse putent, proponam.

Constabat olim inter omnes, morbum comitiale ad iram Deorum referri debere: quod enim inter nos etiam, apud vulgus, antiquum obtinet. Ad hoc, veteres prope modum omnes, atque ex recentioribus nonnulli, pro certo habuerunt, sidera, dum circulos suos conficerent, facere potuisse, ut hic morbus in homines, opportunos certe, ingrueret. Quam in sententiam refert medicus, omni doctrina instructus, se vidisse puellam quinque circiter natam annos, quae plena luna morbo comitali excepta fuisset, servantibus sideris ejus periodos ita constanter accessionibus, ut maris aestibus quotidie responderent. Vocem semper esse suppressam, ablatosque sensus, adfluentibus ad littora aquis; refluentibus vero aegram ad se

rediisse. Hoc suum ipsius animadvertisse patrem; qui, navigii onerarii magister, habitaret ad ripam Tamesis, ac fluvii soleret cursus sedulo servare: et etiam tam constantem mali reciprocantis ordinem fuisse, ut de lecto non semel surrexerit ille ad ea, quae sui essent muneris, agenda, clamoribus filiae sensum, subsidente morbi impetu, recuperantis, e somno suscitatus, et de refluxu fluminis certior factus.* Item, est e familiaribus meis, qui, dum in mari natabat, a pisce quodam venenato ictus est, ita ut pars vulnerata, e continenti admodum tumens, dolore fuerit magno affecta. Atqui auxiliis idoneis adhibitis, sanitatem recepisse videbatur. Nihilominus tamen, exinde per multos dies, quotidie, refluentibus undis, dolere ac tumere non desinebat, donec tandem per naturae omnino beneficium ad integritatem ventum est.

Sed autem, utcunque res se habeat, forsan

* MEAD de Imp. Sol. et Lunae, 39.

temere equidem arbitramur, illos, qui talia dicere soleant, non audiendos esse. Nam cum respiciamus, quam luna quem spiramus aera, inter orbis suos conficiendos, ad afficiendum valeat; quam imbribus humectet; quam ventis agitet turbetque; facile credere possimus ista ne prorsum quidem a vero abhorrere. Sed judicent peritiores.

Quod spectat ad causas morbum continentes, licet plurimi, haud parvi nominis, in tales exercitationes operam dantes, ad hanc rem se quoque contulerint; nemo ferre est, qui res tam occultas ac penitus abditas deprehendere potuerit, aut aliquid certi in lucem proferre. Comminiscitur enim alius aliud; jam illa opinione valente, jam hacce: unde factum est, ut nil ferme habeamus, quod de hoc genere dicamus, nisi philosophorum commenta, inter se parum utique convenientia.

Iis, igitur, qui sibi medicinam rationalem vindicabant, placuisse perhibent, morbi cau-

sam sacri, quem dicunt, stricturam esse; sed autem istud quid valeat, intelligant alii.*

Fuerunt et, qui copiam humoris ingentem pituitosi, atque melancholici, causam hujus mali statuerint, ventriculos nempe meatusque cerebri complentem, usque adeo ut, spiritu animali impedito quin effluat, prolabatur homo. Alii vero humorem non modo praeter solitum abundantem, sed etiam nonnihil vitiatum et corruptum. Humor enim iste, capiti tam inimicus atque infestus, quoties, ut ait vir quidam doctissimus, exagitur, ac prorepat in cerebrum, hoc continuo contrapugnante, quasi collutatione quadam et dimicatione fit morbi hujus accessio.†

Dixit autem alter, sibi videri morbum comitiales sanguine provenire crasso, et felle

* BARCHUSEN de Hist. Med. XI. 5.

† FERNELIUS Op. Omn. Path. V. 3. Consil. 1.
BARCHUSEN de Med. Orig. et Prog. XVII. 9. 25.

nigro, cerebrum scilicet, animae sedem, petentibus.*

Verum, perficeret quidam, si posset, ut putaremus proficisci morbum a flatibus sane succosis, caput occupantibus, nervorumque caulas non prorsus, sed ex parte obstruentibus.†

Pluribus autem visum est, illi morbum tribuendum esse valde irritato, quo continetur principum movendi: quod, tametsi alias voluntas quidem moderatur et gubernat; nunc tamen, praeter eam agere videtur.‡

Alii vero arbitrantur morbum sacrum semper cerebro, fabricam aliquantum mutato, contineri: atque ad id, quod a multis objiciatur, nihil scilicet mutati inveniri non-

* GARIOPONTUS ap. Barch. XVII. 25.

† CAMPANELLA, ib. XXI. 20.

‡ SAUVAGE, Nosol. IV. 4.

nunquam, responderi posse, hanc partem tam accurate exquisiteque finxisse manum naturae solertem, ut saepe admodum vitietur, nemine non insciente. Sed haec hactenus.

Qui se in causis vitii hujus remotis, quas dicunt, quaerendis posuerunt, iis res, quanto indagatione obscurarum minus difficilis fuit, tanto cessit prosperius. Nihilominus, sunt etiam in hoc genere, de quibus vix dum inter medicos constare videatur. Nempe causas ad hanc pestem proclives facientes, quae in numerum remotarum referuntur, recensent diversi diversas : quid ? quod soliti sunt de excitantibus, itidem, inter se decertare. At hoc tamen minime perpetuum est : siquidem sunt hujusmodi quaedam, de quibus, ne controversiam quidem recipientibus, plenissime consentitur.

Quod perhibent de iis, quae corpus huic malo opportunum reddere videantur ; id, ex quo homines tanto vitio patent, forsitan a

majoribus non nunquam accipiunt : sed autem parentes illo haud raro laborant, a quibus in progeniem non transferatur ; et rursus, videre est, quos morbus invaserit fortasse primos gentis suae. Melancholici vero, et isti, quibus sanguinis copia magna est, in eum longe frequentissime incidunt. Et interdum accidit, ut si matri animus, gravidæ videlicet, vehementer commotus est, partus ipse aliquamdiu convulsionibus hujusmodi tentetur. Id quod maxime fit, si quæ vel ira vel terrore percitæ, se a lactando non oppido sustinent.* Quinetiam, qui vitio comitali obnoxii sunt, iis caput quam aliis majusculum, atque calvaria aliquanto crassior esse dicuntur.

Quod attinet ad causas eas quidem, quæ hoc malum, in aliquo ad id jam proclivi, excitare videntur, enumerant medici per multas ; videlicet, motus animi nimios ; ebrietatem ; vitia uteri ; profluvia vel ni-

* SAUVAGE.

mia, vel subito prohibita; podagram; argentum vivum inconsiderate negligenterque datum; dentitionem; vermes; cruditatem; eruptiones a cute repulsas; atram bilem; dolores; noxia in parte corporis aliqua, potissimumque visceribus, inherentia; cursum sanguinis per venas juguli sustentum; denique, id quod saepe animadvertere est, ossa capitis intus tumida, atque etiam cerebri ipsius nunc hanc partem, nunc illam quoquo modo corruptam. Quidquid autem sensibus officere potest, ut graves odores, sonusve rauci aut terrifici, vel visa horrenda aut foeda, id frequenter morbum movere dicitur. Animi vero perturbationes ad hoc incommodum faciendum adeo valent, ut ei morbo comitali nomen sit, propterea quod homines, cum orationes Romae in comitiis haberent, ira magna accensos, frequentissime occupabat: quo nomine semper dirimebantur ipsa comitia.

Multi fuerunt, qui cum alios intuerentur hoc morbo laborantes, in eundem ipsi con-

tinuo ceciderint. Immo, pueri interdum sibi eum, aliis tantummodo imitandis, fecerunt. Et nonnunquam accidit, ut si quid alicui, se comitali vitio antea correptum esse, in memoriam forte redegerit, eodem ex integro occupatus illico concidat. Hinc puer, qui, semel a cane villatico laceratus, in hanc valetudinem inciderat; solebat exinde, cane in conspectum veniente, vel solum latrante, continuo corruere.*

Quondam, quod alii saepissime, puellam equidem vidi, quam, singulis mensibus, morbus sacer, haud multo ante menstrua profluentia, corripere assolebat. Dicit et medicus eximius se mulierem novisse, quam, marem in utero gestantem, gravissime tentaret morbus; minime vero foeminam.†

Praeterea, dicitur hujusmodi pestem intulisse et plumbum et arsenicum; atque

* VAN SWIETEN.

† VAN SWIETEN. LA MOTTE, ap. COOKE, 76.

enim, quodcunque apoplexiam et nervorum resolutionem : quibus, ut supra dictum est, vicibus alternis homines frequenter laborant.*

Neque illud praeteriri debet, quod omnibus exploratissimum est, nihil comitali morbo magis obnoxium esse, quam

Ingenium sibi quod vacuas desumpsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis ———

Veruntamen, quibuscunque causis debetur morbus hicce Herculeus ; omnino omnes, sive viri, sive foeminae, sive aetate provectiores, sive annis in teneris, ei objecti esse videntur. Sed autem rarius corripuntur foeminae quam mares, senes quam juniores.† At ne illud quidem omittendum est, quod refert vir quidam acerrimi felicissimique ingenii, ac praestanti litterarum scientia con-

* COOKE, 73.

† HIPPOCR. Aph. III. 29.

spicuus, se hominem vidisse, qui, annum agens septuagesimum quintum, in hunc morbum incidisset; et deinde, singulis annis usque ad mortem, invaderetur.*

Quod dicunt de aura illa, plerisque placet oriri eam a nervo partis, unde venire sentitur, vel inflammato, vel caeteroquin affecto. Nam accepimus morbo comitali laborasse puellam, cui sua de sede os quoddam pollicis pedis motum fuisset; quo pollice abscisso, e morbo illico recreatam esse. Mulier item hoc vitio saepissime corripiebatur, dolore mammarum unius praecedente, unde in caput ascendebat utique aura. Coepit tandem illa inflammari, ubi, post aliquot dies, abscedit: et usque dum aliquid inde profluebat, mulier valetudine secunda fruebatur.†

Hae sunt causae, quae vulgo enumerantur, et evidentes et continentes. Sed, ut

* HEBERDEN Comm. 142.

† COOKE, 9.

supra positum est, medici de affectione illa, quam proxime sequatur morbus, atque ex qua nunquam non pendeat, valde inter se discrepant; nec enim explicavit ullus, quantum mihi videtur, quomodo id, quod morbum continere putat, causae evidentes excitantesque efficere possint. Tamen nihilominus, mihi forsitan, in re tam incerta et obscura, conjecturam facere fas est. Quid enim? haud scio an recte dixerim, ne meliori quidem nomine dignas rationes, subtiliores illas et exquisitas, quae in aliquo genere a viris acutissimis doctissimisque redditae, jamdiu pro perfectis omnino atque absolutis habentur; siquidem eo probabiliorem tantummodo rationem afferimus, quo plura conjectura credibili una eademque assequimur.

Sed ne multus videar, omnibus placet morbum comitiale cerebri, praeter consuetudinem affecto, semper constare: at nemo, tamen, quomodo afficiatur exponere potest; quia nemo fabricam ejus admirabilem, na-

turamque et obscuram et multiplicem, adhuc penitus perscrutatus est. Quare satis erit, monstrasse, qua de causa commutatio ista cerebri, vel potius morbus ipse, fieri videatur.

Iis, igitur, valde assentior, qui id, quod affectionem cerebri, morbum continentem, proxime antecedit, nihil esse putant, nisi sanguinem eo copia nimia concurrentem: immo etiam, in ea opinione sum, ut hunc ipsum concursum vicissim cerebro, nonnihil prius affecto, sempertribuendum sentiam. Quando enim hoc vitium ex intervallis revertitur; verisimillimum est, id cursu humoris alicujus inusitato incidere; neque in dubium mihi venit, humorem illum sanguinem esse; quia semper fere homines, ad comitiales morbum natura proclives, quales solos eo laborare credo, sanguine in caput, ex quacunque causa, nimis influente, rediens iste corripit.

Opinantur tamen nonnulli, ossa, aliasque

capitis partes, quodammodo vitiata, in omnibus morbum excitare. Sin, autem, causa hujusmodi esset, prorsum constans esset, nec morbus se unquam remitteret. Illud vero nosse oportet, quod in corpore inciso nihil, plerumque, aut tumidi, aut corrupti, reperitur: cumque in aliis partibus tumores ac similia semper omnino e nimia sanguinis abundantia veniant; proinde nullus equidem dubito, quin haec in capite, fortuito prorsus, causa eadem faciat, quae morbum. Ergo, si res sic se habet, tantum abest, ut talia morbum movere videantur, ut sint magno quidem argumento eos, qui id sentiant, vehementer errare. Ad haec, quod rem nonnihil confirmat, cum morbus inveteravit, caput, ut supra dixi, justam magnitudinem aliquantulum superat. Attamen, isthaec ipsa, ut opinor, nempe cerebrum atque ossa corrupta, tandem conferre possunt ad morbi redditum, postquam causae, ex qua primum facta et ipsa et morbus fuissent, penitus adempta est. Sed de hoc infra.

Porro autem, comitialis morbus aliquem saepissime premit, ubi vel extremæ corporis partes, quoquomodo laborantes, efficiunt, ut sanguis aliter atque in consuetudine est, circumagatur: imo et praesertim, si quem ei obnoxium somnus complexus est; quo tempore, ut opinio est, caput sanguine maxime abundat. Illud vero rem plane profecto probat, quod aliquando eundem hominem, nunc hoc malum, nunc vertigines tentant; quodque morbum, de quo agitur, sequitur frequentissime modo nervorum resolutio, modo apoplexia, modo furor flammatus atque ignitus; quippe cum nemini id in dubium venerit, hos morbos sanguine, in cerebrum supra modum concurrente, incidere. Denique, ne illud quidem praetermittendum duxi, multum prodesse in hoc vitio, quidquid facit, ut humor iste ab ea parte derivetur.

Proximum est, ut, quoad fieri potest, indicem, quomodo causae, quotquot referuntur, excitantes magnum illum sanguinis in

caput impetum moveant, quem ei cerebri affectioni, quae morbus ipse recte dicitur, semper antecedere statui.

Mihi, igitur, penitus persuasum est, e cerebro nonnihil perturbato fieri, ut sanguis eo praeter modum influat : quapropter, copia in capite humoris illius justo major, alterius cerebri affectionis causa est, alterius effectus. Nam enim, quod hoc liquidissimum facit, si quis in cogitatione tacita attentissimaque paulisper defixus est, vel ira, aut aliquo animi motu, incitatur, sanguis, copia solito majore, capiti suppeditatur. Quamobrem videre est, hoc morbo potissimum laborare, et eos, qui in aliquid animum maxime intendere soleant ; et eos, qui perturbationibus quidem vehementibus minime vacent.

Cum vero cerebrum ac nervi omnes, qui ubique in corpore sunt, partes tantum generis unius et prorsus ejusdem videantur ; necesse est, quod ad corpus pertinet, similiter

et uno modo aliquid afficiant, et ipsa afficiantur: item, cum corpus ad exequenda munera sua, per vires quasdam istorum abditas, valeat; cumque haud fieri possit, ut munere quopiam minus recte fungatur, nisi eo, ex quo pendeat, aliquantum mutato; sequitur, ut, in quacunque corporis parte sanguis redundet, nervorum arteriis in munera sua sufficientium commutatio antecesserit. Et quod nervus affectus cerebrum, propter consensum illum inter se magnum ac paene incredibilem, similiter afficit; idcirco, sicut morbus comitialis, ut supra positum est, semper fit ex sanguine in caput nimis copiose influenti; item, quando pars aliqua alia laborans eum concitasse videtur, eandem justo pleniorum puto: et, cerebro cum nervis consentiente, fieri talem in id impetum sanguinis, qualis morbum movere solet. Nam enim, quod rei magnum firmamentum adjungit, si qua pars extrema inflammatur, videre licet, sanguinis signa in cerebrum concurrentis, tanto graviora, quanto magis membrum tumet et dolet; atque adeo nonnun-

quam accidit, ut homo mente quidem labatur : id quod in hoc, de quo disseritur, morbo, frequentissime animadvertimus. Quinimo, in omnibus propemodum foeminis, singulis mensibus, priusquam menstrua profluere coeperunt, arteriis uteri venisque supra consuetudinem repletis, ista indicia sunt : sic ut plerumque dolores capitis vertiginesque moveantur ; quae qui in hominibus, comitali morbo vexatis, non persaepe viderit, nemo prorsum est.

Dixerit aliquis partes extremas saepe nimis repletas esse, nec sanguinem nimia copia caput versus ascendere : atque etiam, interdum, cum jam eo solito magis revera concurrerit, hominem morbo sacro haudquaquam opprimi. Nihil autem est, quod putemus cerebrum haud supra consuetudinem plenum esse : nam cum nobis eorum, quae pro signis vulgo habentur, nihil subiiciatur ; tamen, quis est, qui se notas omnino omnes noscere dicat ? sed noscat sane ; nemo affirmabit inde sequi, ut, cum aliquanto

tenuiores obscurioresque sint, bene ac penitus percipiantur. Quod ad id spectat, sanguinem nonnunquam in caput incitatus fluere, nec simul morbum invadere; non equidem possumus, quin libenter demus, rem se ita aliquando habere: sed hoc iis solis plerumque contingit, qui sacro morbo ne natura quidem patent; siquando aliis, eo fere modo, quo venire solent vertigines, vel furor, vel nervorum resolutio, vel denique apoplexia; quae ad mala, ut paullo ante dixi, admodum proclives sunt omnes hoc vitio tentati.

His propositis, eo transeundum est, ut indicem, qua via, congruenter huic causarum aestimationi, ad sanitatem veniatur.

Quandoquidem, igitur, haec valetudo fit ex ea parte cerebri nervorumque quodammodo affecta, quae facit ut per membra sanguis diffundatur; necesse est, intermittatur morbus, affectione illa intermissa. Quid sit ista nervorum perturbatio, ut jam dixi, pe-

nitus ignotum est. At hoc, tamen, nihil ad rem pertinet. Satis erit id quidem nosse, affectionem, ex qua sanguis contra naturam fluit, fere nunquam non funditus tolli, profluente partibus primum laborantibus vel sanguine ipso, vel praesertim pure mucove. Iis enim, quae exulcerandi facultatem habent, adhibitis, multo melius morbis hujusmodi succurritur, quam sanguine misso: vicissimque, in hominibus, quos pulmo male habet, cum jam tantum non ad extremum ventum est, frequentissime evenit, ut aliquis, pure haud amplius excreto, a mente deseratur.

Cum nervi, in parte primum laborante, ad pristinum habitum hoc modo reverti sunt, cerebrum ipsum, cum iisdem iterum consentiens, quoque revertitur: unde fit, ut sanguine haud amplius illuc irruente, morbus finiatur. Sed ne hoc quidem perpetuum est, nisi id, quod profluxerit, sanguini concurrenti responderit: ita comitialis morbus, ex arteriis uteri ante menstrua plenis

profectus, vim suam aliquando nequaquam ponit, quamvis haec, tandem mota, satis longum profluant. Atqui opus esse humore ex parte ipsa affecta emisso, inde colligitur, quod sanguis e brachio detractus, febre nulla urgente, minime prodest; quodque morbus, per se orsus, difficillime solvitur, utpote cum cerebrum vix manus curationi pateat; et effusus sanguis, aut si quid aliud, vel apoplexiam vel nervorum resolutionem faciat.

Nec enim haec, quae supra proposui, ullo modo infirmat illud quidem, quod in nonnullis, quos morbus sacer, nescio qua parte eosdem male habente, corrupisset, rediit idem iterum iterumque, parti ei sanitate jamdiu plane restituta. Quis enim est, tam inconsultus et temerarius, qui, in hoc casu, dicat aliquam quampiam corporis affectionem funditus sublatam esse? Nam id, quod ad hunc morbum concitandum valet, eo modo constare potest, quo profecto consensus corporis, obscurosque et omnino mirificos,

movere queat, etiam signis sibi propriis nullis prorsum relictis. Sed fac istud sublatum : sanguis, eodem reapse urgente, in caput supra modum influens, effecerit fortassis, ut tumores vel similia orirentur ; quae postea arterias venasque cerebri comprimant, et proinde, cum aliquid plusculum sanguinis eo forte propellat, quamquam minus sit quam ut, partibus integris, incommodum afferat, cursum ejus prohibentia, tantum coitum facere possint, quantus morbum excitare soleat. Et enim, quod rem liquido confirmare videtur, in his casibus morbus quam creberrime redit, nec unquam sine magna mole discutitur. Nodus autem aliter expediri potest : nam, cum in rebus aliis propemodum omnibus consuetudo vim naturae obtinere videatur ; nihil est, cur non hic quoque id fieri putemus : ita ut, causa sanguinis in cerebrum nimis concurrentis penitus adempta, etiamnum supra modum concurret.

Quod ad auram istam pertinet, nihil pror-

sus est, ut mea fert sententia, nisi indicium partis affectae cerebrique inter ipsa, per nervos, consentientium, et quasi communicantium.

Quum supra, de omnibus causis morbi sacri evidentibus communiter dixerim, nihil eum unquam movere, nisi sanguinem in aliqua parte nimium redundantem ; restat ut, ad singulas descendens, breviter ostendam, cui affectioni supervenerit ille, in ea aliquid vel nimis suppeditari, vel parum excerni.

De animi motibus jam satis dictum est : sed hic autem adjecerim, alios, quod nemini prorsus ignotum est, efficere ut sanguis in cerebrum incitatus influat ; alios, eosque praecipue vehementiores, non id modum, sed etiam, spiritu intercluso, prohibere quo minus inde redeat. Quod spectat ad ebrietatem, vix necesse est aliquid proponere : quis enim dubitat, potionibus meracis assumptis, sanguinem caput versus, ventriculumque, majore copia moveri ? In utero vi-

tiato, nihil quicquam recte fluit : de hac re tamen pauca supra proposui. Quod attinet ad dentes in pueris nascentes, neminem praeterit, gingivas sanguine magis quam ex consuetudine plenas esse. Quod si vermes, aut similia, intestina infestant, haudquam dubium est, quin sanguis eo copiosissime fluat. Item, si cruditas est, non temere creditur, rem omnino pari modo se habere : siquidem et ea data, quae ut humor e partibus affectis evocetur faciunt, et hirudines ad praecordia admotae, plurimum prosunt. Quamvis autem illuc ne plus quidem sanguinis, quam debet, propellatur ; tamen, ex hoc certe, quod nihil fere secernitur, adeo ut alvus sit plerumque adstricta, sanguis redundare potest. Nec vero aliquid pertinet id dicere, ventrem scilicet nonnunquam maxime fluere : utpote cum fieri possit, ut quod descendit, ex intestinis solis emittatur ; jecinore simul, vel quidem ventriculo justo magis repleto. Nam illud scire oportet, quod hanc meam opinionem confirmare videtur, argentum vivum, vomitusque, quae

semper faciunt, ut bilis praecipue ac succus ventriculi augeantur, in hoc casu mirum in modum proficere. Eruptiones a cute repulsas sequitur viceris cujuspian inflammation; quid? quod identidem cerebri ipsius: ita ut minime mirum debeat videri, hominem ex hac causa in comitiales morbum incidere. At cutis ipsa, quo tempore exasperatur, videtur aliquid inflammari, neque morbus venit. Nil attinet; siquidem tunc utique aliqujus nonnihil humoris inde exit, quod, ut supra positum est, vitium penitus solvit: immo, cerebrum minus cum cute forsan, quam interioribus partibus, consentire solet. Quod aiunt de odoribus gravibus, sonibusque raucis et terrificis; animus fortasse, per talia commotus, morbum, quemadmodum ante exposuimus, concitare potest: sed autem nescio an recte dixerim, illuc, ubi sunt nervi ad olfaciendum apti, audiendumque, sanguinem, iisdem quodammodo affectis, aliquanto copiosius influere. Si quando mulierem gravidam invadit morbus, ex eo fieri videtur, quod humor in uterum, pro san-

guine per tergora sua diffuso, haud satis copiose infunditur. Superest ut, quoad facere possim, ostendam unde eveniat, uti, quod quispiam fortasse opponendum ducat, sanguinis profluvium hic morbus nonnunquam sequatur. Puto, igitur, rem se nunquam ita habere, nisi anima deficiente; quod cum acciderit, sanguis, arteriis extremis se subito contrahentibus, repente supprimitur: sed nihilominus, in eum locum, unde profluebat, ex consuetudine etiamnum ruit; quo efficitur, ut, sanguine ad caput, animi defectione paene exhaustum, magno impetu revocato, nervi plus minus distendantur. Sed ut ut est, inter omnes tamen constat, sanguinem, ex quacunque parte profluentem, semper facere, ut itidem caput versus, praeter modum, derivetur.

Denique, ut equidem omnia una comprehensione complectar, istud mihi persuasissimum est, primum, nullos omnino, quantum assequi possum, nisi natura proclives, in morbum comitiale unquam delabi: deinde,

proximam causam nihil, nisi sanguinem, in cerebrum, aliter atque ex consuetudine, influentem; quod in hominibus, huic vitio haudquaquam patentibus, aut nihil credo incommodi, ut plurimum, facere, aut vero nervorum resolutionem vel apoplexiam: tum, auram istam, jam persaepe profecto memoratam, consensus indicium esse inter cerebrum partemque aliquam laborantem: ac postremo, hunc gravissimum morbum nunquam finiri, nisi impetus sanguinis in locum affectum prius compressus fuerit; vel, inde humor, sive ipse idem, sive alius, pro ratione sanguinis illuc ruentis, evocatus. Haec de causis.

IV. *DE IIS, QUÆ SPEM AUT PERICULUM OSTENDUNT.*

SED cum haec proposuerim, sequitur, ut indicia, quae nobis vel spem vel metum facere soleant, perpaucis explicem.

Vitium aegre depellitur, si congenitum est; si longum; si terrore excitatum; si ingruere solet, signo praemonente nullo; si denique aliquem, inter dormiendum, excipit. Item, apud HIPPOCRATEM est, morbum comitiale, annum aetatis vigesimum quintum excedentem; aut hominem non, nisi post id temporis, prehendentem; tantum non semper in diem vitae supremum manere. Nihil porro pejus est, morbo intervallis minimis quidem recurrente, vel diu immorante; potissimum vero, si quem vertigo multum infestat, aut si artus et vehementer et longum agitantur; homine postea soporis gravitate presso, adeo ut sensibus orbatus penitus omnibus, movendique facultate, credatur. Quinimo, cuidam videtur, si quis, fluentibus menstruis conceptus, in hanc valetudinem incidat, vix, aut ne vix quidem expediri posse.* Medicina omnis itidem fere inanis est, ubi aegrotus, facta nervorum resolutione, mentelabitur. Pes-

* LOMM. Med. Obs. L. II.

simum autem est, si tumores, aut alia in cerebro similia, faciunt, ut morbus repetat.

Contra, cum invasit comitialis, aliquo alio morbo antecedente; aut enim res in aperto, et facile tollenda, initium attulit; scire licet malum, magna ex parte, curationem admittere. Quod si cutis pustulis, iisve similibus, exasperatur; aut si febris intermittens accessit; est, cur spem in maximam venias, nempe futurum esse, ut morbus ipse major ad sanitatem brevi perducatur. Nemi-
ni et ignotum est, plerosque arbitrari nihil aequè ad hoc vitium, in teneris annis natum, sustollendum facere, atque in pueris veneris initium, in puellis menstruorum: esto; nil equidem contra teneo: sed autem vir quidam egregius, experientia nimirum fretus quadraginta amplius annorum, prae-
cise affirmat, rem, fere semper, aliter prorsum evadere.* Sed, ut est, dixerim mihi equidem verisimillimum videri, aliquem,

* HEBERDEN.

hoc morbo a primis cunabulis tentatum, postquam ex ephebis excesserit, penitus liberatum iri : siquidem, quales hunc profecto excitare morbi dicuntur, intestinorum videlicet ventriculique ; infantes frequentissime occupare videmus, progressu quidem aetatis relicturos.

Porro autem, si foeminae morbus praegnantia accessit, idem plerumque partu facto finitur : et si quid inde mali foetus traxisse cernitur, illud, si editus in lucem infans multum evomit, haud raro tollitur ; sin minus, remanet.*

V. DE CURATIONE.

His cognitis, jam equidem eo transibo, ut de curatione adhibenda dicam : rerum profecto, quae in hoc proposito versantur, omnium princeps.

* LOMM. Med. Obs. L. II.

Multa quidem, in auxilium morbi hujus acerrimi, mortales noverunt: sed autem, quod eum et funditus et facile tollat, id certe adhuc petendum est. Namque enim, quamvis incommodum causa fecerit vel levissima, immo jam plane cognita; tamen, plerumque, non sine magna mole leniri potest.

Quo tempore, ut paulo altius repetam, hunc morbum ad iram Deorum immortalium referebant homines; sane superstitiose atque aniliter aegros habitos esse accepimus.

Auctores enim sunt CORNELIUS CELSUS et PLINIUS SECUNDUS, eos, qui hoc morbo tentarentur, solitos fuisse, spe quidem inde sanitatis recipiendae, modo testes ursinos edesse, modo epotare, heu miseros! vel sanguinem gladiatoris jugulati, adhuc calidum et vaporantem.* Quinimo, moris erat anti-

* CELSUS Med. III. 25. PLIN. Hist. Nat. XXVIII. l. 16.

quorum, si quis hoc morbo concidisset, ut ab iis qui adessent, aut sibi suum in sinum despueretur, quo minus se exciperet malum; aut in laborantem, ut ab illo quidem morbus eo citius depelleretur.*

Fuerunt et haud ita pridem, quibus praesidio videretur vesica apri, urina impleta, atque clibano siccata; sumpto, scilicet, cochleario uno quotidie. Item apud eosdem, in summo fuit honore, collo appensus, vel

—— grandis viridi cum luce smaragdus; vel praesertim, corio vituli tectus, et in vasculo inclusus argenteo, lapillus, nescio quis, versicolor quidem, quem in ventre pullorum hirundinum inveniri dicunt. Ad hoc, putabant olim, id quod propemodum supra quam credibile est, calvariam, videlicet, morte perempti violenta maris maribus, foeminae

* THEOPH. Char. 16. Περὶ Δεισδαίμονίας. PLAUT. Captiv. iii. 4.

foeminis prodesse, ustam et cum potu quotidiano commixtam.* Sed de his satis.

Nunc, tandem, veniendum est ad eam mendendi rationem, quam a viris excogitatam et ingenio valentibus et doctrina, usus ipse et experimenta multo magis comprobarunt. At vero, tametsi aegrotantes, tali medicina adhibita, non nunquam penitus expediuntur; tamen confitendum est, id minime perpetuum esse. Quinetiam, haud scio an recte dixerim, interdum plus valuisse naturam quam medicinam. Fit enim saepissime, ut homini frustra curato, cum dari remedia jam longo tempore desita sint, valetudo secunda praeter opinionem contingat.

Quoquomodo autem res se habet, nemini prorsus in dubium venit, quin medicina, ut in aliis, sic in hoc morbo, frequenter plurimum valeat. Saepe enim animadvertere

* SYLVIVS ap. FERNEL. Path. V. 3. ASTRUC de Morb. Ven. IV. 6.

est, malum, remediis interpositis idoneis, omnino tolli, vel illico, vel haud ita multis post diebus. Illud, tamen, medici cujusdam egregii, morbum comitiale, cum jam inveteravit, nunquam naturae beneficio finiri; sed haud raro medicina; ut tanti viri sit, controversiam recipere potest.*

Attamen, ne longis ambagibus uti videar, jam nunc ad rem ipsam me refero.

Quod ad rationem morbo occurrendi pertinet; si certis intervallis redire assolet, utile est, hora ante accessionem, vomere; vel opii tincturae guttas sumere triginta.† Et enim, quum sentit aegrotans, morbo appropinquante, velut si aura illa, de qua ante dictum est, ex manu aut pede in cerebrum efferatur, commodissimum est vel brachio vel eruri, prout res postulet, vinculum injicere arctius: quo, id quod usus saepenumero

* HOFFMAN de Nat. et Artis. Effic.

† FRASER, 62. COOKE, 99.

docuit, efficietur, ut morbum jam invasurum arceamus.

At vero neminem fugit, quantum ad animi perturbationes compescendas valeat musice. Nam quotidiana experientia edocet, infantium vagitus cantibus posse sedari; et leniri aegritudinem, aetate aliquanto provectiores cruciantem; immo vel iras ipsas, ut cunque saeviant, non nunquam mulceri. Itidem, canticum agendo, comitali morbo vexatis multum interdum proficitur. Laboravit enim puella malo hocce, quae, quoties accessionem praesentiebat, cantu musicorum, ut illi occurreretur, uti solebat: quo pacto morbi impetu semper sustentato, haud longo tempore, remediis quidem aptis ad vires corporis restituendas simul adhibitis, ad sanitatem perducta est.* Quando, igitur, in hunc locum me sermo deduxit, minime mirum videri debet, summam eruditionem Graecos, ut Marci Tullii verbis utar, sitam

* QUARIN. Cap. II.

censuisse in nervorum vocumque cantibus. Igitur, inquit, et EPAMINONDAS, princeps, meo iudicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur: THEMISTOCLESQUE, aliquot ante annos, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt; discebantque id omnes; nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur.*

Quod ad accessionem ipsam attinet; id tantum agendum est, ne sese ullo modo, dum torquentur membra, et distenduntur, laedat laborans; quippe quum nil prorsus sit, quod ad impetus magnitudinem minuendam valeat. Nec ea tamen adstantes continere debent; quoniam inde fieri potest, ut lacerentur eo ipso tempore, vel saltem debilitata, postea languescant.

Quinetiam, rectius est hominem, vestibus quamprimum laxatis, in lecto, capite

* Disput. Tuscul. I. 2.

simul aliquantum excitato, collocatum haberi; idque in conclavi spatioso: neque vero oportet ullos adesse, nisi quos necesse sit. Naribus acria ne ulla quidem admovenda sunt: nec commodum est, id quod usu venit, venam incidere; quoniam curatio ista temeraria, ut maxime corporis vires minuit, ita adauget morbi. At vero, ne lingua, dentibus compressis, mordeatur, aliquid idonei interponendum est: quod equidem accepimus quondam fecisse, ut morbus vim, praeter opinionem, continuo deponeret.*

Restat ut, qua ratione homo, per media intervalla, continendus sit, proponam. Si cui, hujusmodi morbis implicito, sanguis abundat, commodissimum est eundem mittere, aut ex brachio, aut temporibus: deinde id curanti, quoad ejus fieri poterit, studiosissime agendum est, ne quid sanguinis postea in caput, nimia copia, influat. Neque enim est praetereundum, magni interesse

* MOSMAN ap. COOKE, 102.

sanguinem ex arteria extrahi. Si quis enim, sanguine ea via profluente, mortuus est, cerebrum fere semper reperitur humore isto pene exhaustum; sin autem venis eundem copiose fundentibus, plus solito plenum. Ad hoc, quando arteria sanguinem profundit, multo minus cordis motus impeditur: neque tam vehementer urget spirandi difficultas; neque in tantum distenduntur nervi: immo, ne aequae quidem postea hominem vires deficiunt.* At vero, quamvis in hoc morbo sanguinem mittere aliquando convenit; tamen, meo iudicio, nunquam eum e brachio quidem recte detrahimus, nisi forte corpus quam plenissimum videtur, vel febris subest: proinde in hominibus tenuioribus senioribusque; item, vita incontinenter traducta, ad imbecillitatem redactis; item morbo seniove confectis; diligentissime cavendum est, ne quid mali ex hac causa afferatur. Quod si in capite multo plus sanguinis quam ex consuetudine est, (nam, ut

* Dr SEED, Dissert. Inaug. 1815.

supra comprehensum est, semper modum nonnihil excedit) satius erit, aut occipitio inciso cucurbitulas, aut fronti hirudines ad-movere: sin paullo omnino supra quam sat est, summum caput rasum ex antimonio commodissime unguitur, donec crebrae ori-antur pustulae. Quod, cum semper fere mihi optime cesserit, in omnibus faciendum puto: neque enim huic valetudini, per se quidem incipienti, ullo modo melius succur-ritur. Ad haec, nonnunquam est, ubi om-nia agi debeant, ut ora venarum sanguinem ex ano fundant. Vidi enim, cui, remediis permultis ante ferme incassum adhibitis, hac ratione maxime profectum fuit.

Placet nonnullis alvum, certis intervallis, movere, idque medicamentis valentibus. Sunt et e contraria parte, quibus, quos occu-pat comitialis morbus, purgare alienum vi-deatur. Utrique vero, ut mea fert senten-tia, in errore magno ac pernicioso versantur. Nam si bene concoquit aliquis, alvum solli-citare minime tutum est: sin minus, ven-

tre simul compresso, quae hunc solvunt, recte assumuntur. Cum autem morbus concoctionem, infirmo ventriculo, prohibitam secutus est, praecordiis antimonium commodè illinitur; aut emplastrum rodens injici debet; aut hirudines affigi: imo, oleum terebinthinae utiliter sumit aegrotans, quod etiam ex inferiore parte datum, nonnunquam admodum proficit. Denique, alvus, in omni casu, tenera certe servanda est: at si per se mota multum fluit, nequaquam comprimi debet; sed contra, vomere convenit, et argentum vivum assumere; praesertim, si quid jecur corruptum ostendit, quod quidem frequenter videre est. Ubi vermes in intestinis nascuntur, ad remedia idonea decurrendum est.

Solebant olim, medici vomitus, singulis diebus, dies quidem per septem, immo etiam haud infrequenter bis septem, elicere: sed autem temeraria ista medicina interponi jamdudum desiit. Illud vero dixerim, quod

experientia quam saepissime docet, nihil scilicet, siquid alieni in ventriculo est, comitiali morbo laborantibus magis proficere, quam profecto, quae pollent concitando vomitiones, semel iterumque data.

Ubi aliquem sollicitat dolor, vel si quid aliud, non alienum est, ea, quae facultatem habent sedandi atque sopiendi, adhibere remedia; qualia sunt opium, hyosciamus, iisque similia. Haec tamen, vi morbi adhuc saeviente, hominem in magnum vitae discrimen nonnunquam adducunt.* Sed enimvero, ubicunque morbus occupare inter dormiendum consuevit, commodissimum est, prius aliquid ex opio compositum dare, quam se lecto commendet aegrotus. Ne illud quidem, a medico Germano litteris mandatum, praetermittendum esse duxi, sacerdotes nimirum quosdam medicamenta ex helleboro, specie scilicet olei sancti, exitu adhibuisse felici contra morbos malevolen-

* QUARIN. Animad. C. II.

tiae daemonum tributos; inter quos id malum fuisse legimus, de quo hic disseritur.*

Ceterum, cum vires fractae sunt, commodius est, ea dare medicamenta, quae sunt facultate praedita illas restituendi et firmandi. Inter haec quidem nihil prorsus, quanto quae nunc imbecilla reperiuntur, tanto laudis olim cumulari solebat; viscum scilicet quernum, atque frondes mali aureae. Commendant quoque corticem Peruvianum: si tamen sanguinis nimia copia est, capite praesertim dolente, medicina illa, quantumvis laudata, nocere posse videtur. Ubi autem aeger tenuis est, morbo, spatio temporis eodem semper interposito, revertente, corticem illum haud scio an recte dixerim quam utilissimum. Attamen, in hoc vitio, nihil ad corpus recreandum zinco aptius est, nihil pulchrius. Neque immerito: multis scilicet, quibus aliter depelli morbus nequiverat, medicamentum per hoc nobilissimum

* QUARIN. Animad. C. II.

plane explicitis. Ut, enim, unum alterumve referam exemplum, vir litterarum cupidus, civilibusque ab officiis assidue tentus, tempore quidem, eo nomine, corporis curationi nullo servato, in hunc morbum incidit. Sub medicis doctissimis peritissimisque, menses per multos, frustra prorsus tractatus, cupro nimirum, et argento, et cortice illo, immo, sexcentis omnino aliis aliis temporibus, adhibitis, mihi tandem traditus est. Quum fecissem, ut cuncta protinus ista intermitterentur, atque alvus valide cieretur; zincum, cui ferri paululum adjiciendum putavi, interpositum est. Res commode cessit. Alter, rusticus videlicet, adhuc incassum curatus, jam nunc zinco tantum usus, ad sanitatem brevi perducitur. At vero scire licet, inter medicamenta ex eo comparata, nec unum omnibus proficere, nec idem semper eidem: sed contra, diversa diversis, et aliud alias. Sulphas, autem, quod dicunt, quoad usus ostendit, maxime pollet; cujus enim grana vel quinque simul adhibita fuerunt. At ne tamen totus sim pulchro in hoc medicamen-

to laudando, dixerim e ferro facta eodem aliquando valere. Id, enim, compertum habeo, haec imbecillis, fere semper prodesse, iisque praesertim, qui sanguine nonnihil deficiantur, cursum peragente eo natura tardius. Liquet, autem, haec medicamenta firmantia, minus singula proficere, quam inter se conjuncta.

Existimantur magni et arsenicum et cuprum; sed de his nihil certi est, quod dicam, nisi quod nemini prorsum a me curato profuerunt.

Verum enimvero, multis placet, remedia ex argento, caeteris omnino omnibus maxime praestare: sed hoc temere. Nam tametsi res, iis adhibitis, quam optime interdum cesserit; illud tamen haud perpetuum est, nec unquam brevi. Ad hoc, id quod nemo nullius momenti haberet, hoc medicamentum, primum mutatis lingua faucibusque, corporis cutem totius aliquando sic penitus infuscat, ut ei album natura proprium

nunquam restitui possit. In aegro quodam haec mutatio facta esse dicitur, vel sexto mense quam medicamento uti desierat: atque in altero, decoloratae fuerunt partes tantum superiores. Attamen, cum res sic se habuerit, si quibusdam credendum est, rarissime accidet, ut hominem, semel liberatum, ex integro in morbum incidere videamus.* Non autem ab re erit retulisse, medicamenti, de quo nunc agitur, argenti nempe nitratis, quod dicunt, semel atque iterum data esse, uno tempore, vel grana quindecim.† Praeterea quibusdam, ut perhibent, hac valetudine tentatis, medicamina ex plumbo feliciter data fuere: ego vero crediderim, ad istiusmodi remedia minime decurrendum esse.

Nec desunt, qui stannum quoque omni laude quam dignissimum existiment: attamen, de tali medicina, nil habeo, quod nunc equidem proponam.

* COOKE, 157, 159.

† Med. Trans. IV. 85.

Porro autem sunt, qui hoc malo laborantibus fluxum salivae largum, argento vivo adhibito, concitaverint; sed plerumque frustra: nec docet usus aegrum hoc modo semper sine periculo teneri posse. Attamen ea ratio respondisse videtur, quum fuerat, cur putasset aliquis, morbum calvariae tumori, a lue nimirum venerea genito, fuisse tribuendum: sed ne hoc quidem perpetuum est.

Quod ad ea medicamenta pertinet, quae ad hoc malum tollendum, cerebro nervisque praecipue afficiendis, pollere dicuntur; si enim scripta aliena, vel nostra quidem experimenta pauca, fidem habere debent, cuncta fere, quamvis pleno ore saepe laudata, plane inutilia sunt. Valeriana certe, atque medicamina ex aethere, aliisque similibus, eo valere nonnunquam videntur: sed tamen mihi dubium non est, quin alio cuidam, quidquid commodi afferatur, tribui oporteat.

Ceterum, ex omnibus, quae in hoc morbo adhiberi solent, nihil propemodum medica-

mentis summae cuti inductis, aptius validiusque videtur. Inter haec tamen longe utilissimum unguentum illud existimo, quod habet antimonium et adipem. Cum, igitur, malum hoc majus ventriculus male affectus excitat, convenit, ut supra positum est, praecordia eo illini. Ubi autem eruptiones a cute repulsas subsequitur morbus, rectum est, eam exasperare, vel hoc quidem, vel emplastris leniter exedentibus impositis, sic ut, ubi fuerit rubor, haec removeantur. Utile quoque est, in balneum venire; atque ea assumere, quae ad sudorem movendum apta sunt: nec mihi dubium est, quin cutem urtica cecidisse admodum prosit. Expedit etiam, ex qua parte ascendit aura illa supra memorata, illic vel nervum principem interscindere, vel ferro candenti adurere, vel certe imponere emplastrum aliquod rodens. Item, opem, ut dicunt, non mediocrem affert, spinam mane ac vespere perfricare, vel panno crasso quidem et aspero, vel unguento quolibet idoneo; aut enim emplastrum de cantharidibus supra eam dare, nempe, a sum-

ma quidem parte usque ad imam. Siquando morbus ab aliqua parte capitis minus integra, originem duxisse videtur; terebram adigi nonnunquam jubent, sed temere ac paene incassum. Interdum vero praecipunt, ferro candenti, aut occipitium aduri, aut infra, qua caput summa vertebra excipit; nec dubito equidem, quin vere dicant, se tali curatione multum auxilii attulisse.*

Olim praecipi solebat, ut liquor quidam, in id comparatus, auri dextrae quotidie mane instillaretur; sed quo fructu, non liquet,†

Neque praetereundum est, quin hoc loco feram, corporis demersionem in aquam frigidam marinam, si modo sanguis in capite copiam idoneam haud maxime superet, nonnunquam commodam esse: at vero rectum est, ea caput prius implere.

Ad summam, curatio, quae cum mea ipsi-

* COOKE, 195.

† FERNEL. CONS. I.

us causarum aestimatione maxime congruere videtur, quamque usus, brevis sane, optimam ostendit, haec est : Si cui alii morbo comitialis supervenit, pus ex parte prius laborante, summoque capite, per unguentum illud, evocatur : si per se orsus est, ex hoc tantum : in omnibus alvus tenera servatur : sanguis nunquam mittitur, nisi aeger quam plenissimus est, aut febrem habet : denique, si vires corporis fractae sunt, quae ad id firmandum valent, assidue dantur ; minime vero, si adhuc integrae. Quandam tamen majorem observationem desiderat morbus, a menstuis suppressis proficiscens : si aegrotans plena est, sanguis detrahitur ; hinc enim haud raro contingit, ut ista protinus profluere coeperint. Praestat autem, in alvum, ex inferiori parte, infundere, terebinthinae, oleique purgantis, utriusque unciam : item, debet se aegra in aquam calidam, inguinibus tenus, demittere ; atque eas partes, quae in aqua sunt, vicinasque diligenter perfricare. Quinetiam, cum menstrua, minore copia tardiusque manantia, malum excitarunt,

sanguinis missio itidem multum proficit : sed autem magnam cautionem habet ; videndum enim est, ne, sanguine plus satis detracto, anima deficiat ; quoniam inde fieri posset, ut, profluvio ex toto prohibito, morbus maxime ingravesceret. Imo, si morbus cum menstruis reverti solitus est, quamvis haec quidem omnino uberrime profluere videantur ; est, tamen, cur judicemus, ne pro sanguine quidem uterum versus ruente ; ita ut eadem fere medicina opus sit.

Expedit pauca adjicere de unguento isto e stibio composito. Plerumque, igitur, supra cutem injecta compositione hac nobilissima, intra paucos dies pustulae vel creberrimae oriuntur : identidem vero, non nisi etiam mense amplius elapso. Has, sponte sua, brevi exarescere ac tandem evanescere, ut plurimum, videmus : sin minus, aqua, in qua cicuta decocta est, commodissime foventur. Et interdum accidit, id quod mirum est, ut quaecunque corporis pars inun-

cta fuerit, naturalia quoque pustulis aliquantulum exasperentur.*

Quod spectat ad victum, eo plerumque opus est mutato; utpote cum haud raro morbus inde finiatur. Accedit autem, quod semper fere oporteat, hominem se a potionibus meracis abstinere. Alienum est somno nimis indulgere. Venus immodica, cui morbo comitali aegrotantes, mirum in modum, addicti dicuntur, eundem alit atque intendit.†

Hic morbus, haec remedia; quae in tantum malum auxiliorum optima rectius diceres, quam quae facultatem id semper vincendi habeant. Plurimum adhuc exequendum restat: et si quid olim, quod tantum habeat efficacitatis, noscemus; id profecto magis fortuitu nactus erit aliquis, quam quaerendo repererit. Etsi vero medicina, quae, nostra

* Edinb. Med. Journ. Oct. 1822.

† QUARIN, Animad. II.

aetate, omnibus aliis anteponitur, manca ac debilis est, longe multumque, tamen, illi praestat, superstitiosae quidem ac plane anili, quae apud majores nostros magni aestimabatur. Quid enim? istaec si prorsum idem valebat; erat, certe, multo ingrator multoque crudelior. Sed autem, omnium rerum vicissitudo est; et remedia remediis in perpetuum cedent: ita ut, quae nunc in honore videmus, casura sint demum contempta.

FINIS.



